



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VI. Lotharingi oratio; & noua Canonum forma ab eo proposita.
Reliquorum Gallorum sententiae. Varia opinamenta de altera propositione
Lotharingi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

1562. non ingentis animi, aptiorisque ut regeretur, quam ad regendum idonei; ex quo in nonnullis orta est opinio, Lotharingum in Galliam reuersurum^a, quod administrationis lora suis imposita manibus speraret. Hic, quippe affinis defuncti Regis, se abstinuit à colloquio, quod ab ipso Legati paulò antè petierant^a eo die, quo peruenerat tabellarius; & die postero officia eius vicem dolentium ab ipsis accepit. Verba fecere de iis, quæ posset Pontifex impendere in salutem regij filij hæretici, qui septimum ætatis annum compleuerat, matris & magistri hugonotti operâ in religione pessimè nutritus. Verùm Lotharingus re diu perpensâ censuit, peculiaria postulata id temporis tentanda non esse. Quamobrem Legati id consilij dedere Pontifici, ut ipse rei procuracionem commendaret Ferrariæ Cardinali, qui tamen antea reditum adornarat, putabatur tamen casus illius causâ substiturus, discreturusque eas opportunitates, quæ ut benè dispiciantur, opus habent oculo non solum acuto, sed propinquo; cum humana mens erga res quasdam se habeat sicuti gustus erga sapes, qui quantumuis acuminis habeat, eos non percipit, nisi tangat.

^a Litteræ Gualterij ad Borromæum, 6 Decembris 1562.
^b Litteræ Legatorum ad Borromæum, 6 & 7 Decemb. 1562.

CAPVT VI.

Lotharingi oratio; & noua Canonum forma ab eo proposita. Reliquorum Gallorum sententia. Varia opinamenta de altera propositione Lotharingi.

^a Litteræ Legatorum ad Borromæum, 6 Decembr. & Fulsarij ad Moronum, 7 Decemb. 1562.
^b Litteræ Gualterij ad Borromæum, 3 Decembris 1562.

PRidie quàm mors Antonij nuntiaretur, Lotharingus ex improviso^a sententiam suam exposuit, nondum auditis cunctis aliarum nationum Patribus, sicut antea in animo habuerat. Sed præuertere voluit, propterea quod expertus fuerat, per eam hinc mem se identidem ita opprimi pituitâ, ut raucus euaderet; idcirco cum se liberum sensit, noluit vsuram vocis diutiùs retardare. Per eos dies familiariter is egerat cum Seripando^b, idque Gualterij solertiâ; qui cum sciret, huic Legato tribui à Lotharingo multo amplius quàm reliquis omnibus in Theologica doctrina, sicuti ceteroquin in amore ac reuerentia præ cunctis Mantuanum haberi; sperauerat à Seripando, subductis ab illius animo quibusdam principijs & argumentis, quæ idem in scholis hauserat, eum facile ad suas partes adductum iri, quippe voluntate propensum, & scientiâ inferioriorem. Maximè verò, quia illius Principis mens, ut quidam opinabantur, speciosior erat quàm robusta; in rebus intelligendis clara,

1562.

clara, in explicandis facunda, in percurrendis expedita; quæ doctes inter sanguinis fortunæque splendores, & velut incantationibus gratiæ ac ingenuitatis, conciliant possessori exultationem admirationemque præcellæ doctrinæ, partim ab hominum mediocritate, partim à benevolentia, partim ab adulatione. Sed, prout affirmabant alij, si quis sciret velletque veram celsitatem metiri, breue spatium inter superficiem ac fundum nactus, animaduerneret, à delicata Principis educatione; & non otiosa gratiosi conditione permissam illi non fuisse eam exercitationis studijque assiduitatem, sine qua in sapientiæ disciplinis licet cuipiam magistrum agere, nunquam tamen esse magistrum.

2 Duabus planè horis expletis, ingentem illam gloriam consecutus est in eo genere præstantiæ, quæ est videri minorem, nimirum minus prolixum quàm reipsa fuit. Magnificè, eloquenter, eruditè disseruit, atque per hanc sententiam exorsus est: Nihil expendi potuisse à Patribus Christianæ Religioni conuenientius, quàm Ordinis Sacramentum; frustra laboraturos fuisse in rebus sacris decernendis, vbi dubitari posset quis esset legitimus Sacramentorum minister. Cauendum primo loco, ne fur aut latro intraret in ouile Christi, qua de causa tot in Ecclesia perturbationes cernebantur: præcipuum quidem sibi futurum in votis, nequid, dum agebatur de Ordine, inordinatè committeretur.

In doctrinæ capitibus improbauit primum, quo dicebatur, in omni lege Sacerdotes cum sacrificiis fuisse coniunctos, cum de eo haud plenè constaret; quandoquidem in lege naturæ cuncti primo loco geniti Sacerdotes erant, cuiusmodi fuit Esau, ex epistola Pauli ad Hebræos, vbi accusatur, quòd primogenita vendidisset: id enim actio profana non fuisset, nisi ius Sacerdotij complecteretur, & tamen non omnes primigenæ sacrificabant. Obseruauit pariter (idemque obseruauit Antonius Augustinus) vocem illic positam, *Seruator*, quam elegantem magis, minusque significantem quàm par esset arbitrabatur, nec vsurpata ab antiquis Patribus in sensu *Saluatoris* d: Ecclesiam quasi pudicam matronam esse, quæ reiicit nimis exquisitas munditias, veluti ornamenta meretricum.

Censuit præterea, in tertio capite, vbi agebatur de rebus Ordinis Sacramento necessariis, nominandas non esse materiam & formam; non quòd hæ non adsint, sed quia huius Sacramenti materia facile decerni non possit. Cupiit ex altera parte, vt fieret mentio de manuum impositione, vtpote tam frequenter in veteri Testamento, & in nouo frequentius commemorata. In quibus omnibus

c Cuncta extant in Actis Palestræ, & Arcis Ætæ.

d De discrimine inter *Saluatorem*, & *Seruatorem*, consali potest Manutius in quartam Verriam, & Iulius Niger in suis *Alceticis* in 3. parte de titu. o.

Pars III.

N n nibus

Historia
Concilij Trid.
Lib. 19. Cap. 6.

1562. nibus eius sententia placuit; quamquam in postrema, ne definiretur impositionem manuum esse partem Sacramenti, delecta sunt vocabula magis vniuersalia *vocum & signorum*, tamquam partium componentium, quæ sint necessariae sacrae ordinationi, non tamen silentio præterita manuum impositione, quin allatis in Decreto verbis Pauli ad Timotheum^e: *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

• In 2. ad Timoth. cap. 1.

Ad præcipuam quæstionem accedens, ex opportunitate eorum; quæ habebantur in capite quinto, dixit, Placere sibi apertam rei declarationem, quò ambiguitas omnis tum Catholicis tum hæreticis auferretur de Concilij sententia: non quidem sibi probari particulam illam, *ex Iure Diuino*, quippe causam multis contentionibus in Ecclesia futuram. Controuerfiæ non subiici, potestatem Ordinis in Episcopis esse proximè à Deo, cum habeatur in Scriptura, dum Ordo confertur, *Accipite Spiritum Sanctum*, qui non nisi à Deo dari potest. Simul etiam in vniuersa Ecclesia potestatem iurisdictionis esse à Deo: etenim Ecclesia facultatem non habet efficiendi ne regatur à Romano Pontifice, & ab Episcopis, neque constituendi sibi Aristocratiam, aut Democratiam; sed regi necesse est per Monarchiam à Pontifice vniuersali, & ab Episcopis peculiaribus: id autem originem ducere proximè ab ipso Deo. Præterea in quouis Episcopo eam partem iurisdictionis, quæ naturam excedit, originem à Deo trahere absque vilo interposito, cum id quod supra naturam est, effici non possit ab hominibus, atque huiusmodi esse iurisdictionem absoluendi peccata. Sed non propterea exarquari potestatem Episcoporum Pontificiæ potestati. Nihil ita firmiter propugnandum id temporis sicut Vnitatem & Primum Apostolicæ Sedis, dum cunctæ aduersariorum phalanges ad huius arcis euerisionem conspirabant: complures enumerari eorum sectas, Lutheranos, Calvinistas, Zuinglianos, Anabaptistas, & alias; sed omnes conuenire vnanimes in hoc fastigio percellendo: atque id significari ab Euangelica parabola fortis armati, suæ domus atriam custodientis. Ex eo quòd Episcoporum iurisdictione sit proximè à Deo, in Ecclesia nihil detrahi Pontifici auctoritati, pro eo ac obseruabat in suo volumine Polus Cardinalis: soli namque Pontifici datum est eam exercere in quocumque alio, idque vocando, assumendo, deponendo, mittendo; ita vt nemo assumatur, ac mittatur à Deo, nisi per ipsum Pontificem; idque ab eodem Polo idoneis exemplis illic illustratum apparere. Idcirco quoties audiebatur, in remotis Prouincijs quempiam ad Episcopatum assumi à Metropolitanano, semper

semper intelligendum esse id fieri aut ex Apostolorum Constitutione, aut ex Decreto legitimæ Synodi, aut ex summorum Pontificum privilegio, aded vt adesset vel expressa vel tacita Romanæ Sedis auctoritas; aliter enim rationem capitis destructum iri: verum id conspici in cunctis Episcopis, præter Apostolos, qui à Christo per se electi fuerunt. Quod autem obiectabatur ex verbis Pauli, *Ego nec ab homine, nec per hominem*, valere potius ad rem propositam comprobendam; siquidem dum ille dicit quasi suum peculiare privilegium, *nec per hominem*, insinuat, reliquos vocari per interpositum hominem, hoc est, per summum Pontificem: quare à Deo vtrique iurisdictionem prouenire, sed exerceri in subiecta materia aliis à Pontifice destinata, quam idem auferre potest, aut minuere. Quòd verò huiusmodi potestas ab Ordine non oriatur, liquidò patere: ac primò quidem, quia Sede vacante ab Ecclesiasticorum Collegio potestas exercetur, & anathemata vibrantur: secundò, quia non posset hæc, si verum id esset, transferri in Vicarium, qui sacris Episcopi Ordinibus initiatus non est: tertio, quia licitum non esset ab Episcopo ad Archiepiscopum prouocare, cum gradus & prærogatiua Archiepiscoporum humani iuris merè sit. Hanc igitur iurisdictionem plenè penes Pontificem esse, cui liberum est eam moderari, dummodò id præstet ex Apostoli effato, *in adificationem, non in destructionem*. Huiusmodi tamen disputationes, quippe infinitas, prætermittendas esse, solumque declarandum id quòd attinet ad veros ministros Ecclesiasticos constituendos.

4 E Decretis doctrinæ transgressus ad Canones, dixit: Haud probari sibi in sexto vocem tunc appositam, *Sacer Principatus*, retentà solum voce *Hierarchia*, quæ tametsi idem valeat, modestiùs tamen sonat, & priùs Græcè à S. Dionysio adhibita, postea ab Ecclesia Latina vsurpata est. Denique hanc nouam septimi Canonis formam proposuit, de qua priùs priuatum sermonem habuerat cum Legatis: *Anathema, si quis dixerit, Episcopos non fuisse à Christo institutos in Ecclesia, aut ex sacra ordinatione Presbyteris maiores non esse.*

Præter breuem hunc Canonem duos expendendos protulit ampliores († sed non in eo cœtu, quantum comperio) quò definiretur tamquam à Deo constituta hinc Episcoporum eminentia, hinc summi Pontificis prærogatiua. Prior damnabat eum qui diceret, *Episcopos non esse à Christo institutos in Ecclesia, aut ex ipsorum ordinatione non esse maiores Presbyteris; aut ordinandi potestatem non habere; aut si habent, eam communem Presbyteris habere; aut Ordines ab illis collatos absque consensu & vocatione populi, irritos esse.* Alter, eum qui diceret:

N n 2

f Citata Finescaratij epistola, & Acta Palcott.

Historia
Concilij Tridentini
Lib. 19. Cap. 6.
1562.

1562. diceret, *Petrum ex institutione Christi primum inter Apostolos non fuisse, summumq; ipsius Vicarium; nec necesse esse in Ecclesia unum esse supremum Pontificem, Petri successorem, eiq; parem in auctoritate regendi, atque in Romana Sede eius successores ad hoc usque tempus non habuisse ius Primatus in Ecclesia.*

Postea reliqui Galli sententiam dixerunt, & eorum complures simplici voce cum Cardinali consenserunt: alij tamen propensionem animi præ se tulerunt in Hispanorum opinionem. Præcipue verò Franciscus Beauquer, seu Belcarius, Metensis Antistes, auctor celebris Historiæ sæpius à nobis laudatæ, dixit: Multos in Romano Pontifice auctoritatem ex imperio metiri, & sicuti Christianus orbis immensus erat, ita censebant summi Pontificis auctoritatem immensam, aded ut Episcopos assumeret in partem sollicitudinis, eisq; functionem quasi accommodatam aut precariam concederet. Contrariè se prorsus opinari; quando Episcopi successerant Apostolis, qui à Christo vocati fuerant, & Mathias forte, hoc est Diuinâ voluntate, assumptus: ab Episcopis igitur munus proprium, non à Pontifice delegatum obtineri. De illa voce, in qua complures nitebantur, *Plenitudo potestatis*, à se dici, perinde ac loquebatur Chryostomus de plenitudine gratiæ intelligendam esse, aliam fuisse huiusmodi plenitudinem in Christo, aliam in Virgine, aliam in Apostolis, aliam in aliis Sanctis, pro varietate recipientium; ita pariter plenitudinem potestatis etiam in summo Pontifice suis esse cancellis limitatam. Sed hac in re plurimum ille cancellos transgressus est.

g Acta Palotti.

Fama erat, hunc Episcopum Lotharingi magistrum fuisse: & fanè intimam cum eo familiaritatem exercebat, atque eius operâ nobilem illam Sedem acceperat. Vnde suspicio fuit, eos concorditer se gessisse, & textum à discipulo obscure propositum, fuisse dilucidatum à magistro interpretationis suæ claritate. Sed Cardinalis huiusce famæ conscius, Gualterio negavit^b, se umquam Beauqueri discipulum fuisse: eum quidem à se agnosci virum maximæ litteraturæ, sed minimi consilij. Nec abstinuit, quin illum castigaret coram duobus Gallis Oratoribus, & duodecim Episcopis. Dein per opportunitatem, dum colloqueretur cum Legatisⁱ, dixit, Possè quidem se interdum aberrare, considerationis aut peritiæ penuriâ, non item simulatione aut versutiâ, vitio nimis alieno ab honesto viro. Quo audito à Simonetta, qui huiusmodi dubitationem conceperat & aperuerat, Lotharingi manum comiter apprehendit, faslusq; illi est, ab Episcopi Metensis sermone suspicionem

h Literæ Gualterij ad Borromæum, 7. Decembris & sequentibus 1562.
i Acta Palotti.

nem aliquam in animo suo excitaram fuisse. Hinc verò amicitia inter eos confirmata est, cum plurimum valeat ad persuadendum alteri, nos illi credere, si fateamur prius non credidisse. Itali ferè omnes sententiam Pontifici maxime fauentem propugnarunt.

1562.

Postremus omnium de more opinionem suam explicauit Lanius, qui tamerſi diebus præteritis abundè ea de re fuisset locutus, sicuti iam narrauimus, tamen nouæ formæ causâ pro reliquorum consuetudine quædam repetiit*: Futurum fuisse munus Concilij hereticos damnare, moresque corrigere, eorum quæstionibus scholæ relictis; verumtamen quando sic ab aliis fiebat, à se quoque sententiam suam de proposita controuersia prolaturum iri. Cœpit à definitione, à qua ducit initium scientia in rerum natura inuestiganda; affirmauitque, Potestatem Ecclesiasticæ iurisdictionis esse certam quamdam præfecturam vnius Clerici supra alios, quò eos dirigat ad æternam vitam ex Diuinis mandatis; & idcirco tam in superiori, quàm in subditis requiri conditionem Christiani, & saltem in superiori conditionem Clerici. Hoc posito, arbitrari se, hanc præfecturam oriri à summo Pontifice. Id primo loco confirmauit compluribus testimoniis, & inter cetera produxit in hanc sententiam Decretum vnum Innocentij III. alterum Lucij III. & tertium Clementis III. quod à se in Sicilia repertum hinc in conuentu recitauit. Idem fuisse firmatum à multis Patribus Concilij Basiliensis in Epistola ad Eugenium. Tum ad rationes progressus, obseruauit, interdum tradi alicui materiam, iurisdictione non traditâ, cum idem per se amplissimam obtinet potestatem: ita traditam fuisse Paulo, cum missus est ad Gentes, & Petro cum ad circumcisos missus est: atque ita dici posse à Pontifice fieri, eum dicecesim aliquam adiicit Patriarchis; sed plerumque cum Pontifex gregem tradit, simul tradi supra gregem præfecturam: si nihil aliud ille præstaret nisi destinationem materię, conficeretur hinc, potestatem haberi ab Episcopis aut à seipsis ex vi Ordinis, aut ab alio capite quàm à Pontifice: posterius nulli Catholicorum in mentem venire; prius falsum deprehendi. Siquidem Episcopi etiam ante consecrationem possident iurisdictionem, sicut habetur in postrema Extrauagante Clementis V. Id corroborauit vndecimo Canone Concilij Chalcedonensis, quo imperatur, vt ante consecrationem probetur, Num quispiam titulum obtineat, hoc est curam animarum, quæ cura iurisdictionem importat. Si verum esset quod aduersarij contendeabant, iurisdictionem impertiri à Deo vnâ cum caractere, deduxit tamquam corollarium, in cunctis æqualem futuram.

N n 3.

turam.

k Acta Arcis
Romanae, &
Paleotti,
9. Decembris
1562.

Gloria
Concilij Trid.
Pars III.
S. V.
7.

1562.

turam sine vlllo discrimine inter meros Episcopos, Metropolitans & Patriarchas, cum omnes æquè sint consecrati; nec eam à Pontifice auferri aut coarctari posse. Tradi à supremo Pontifice hanc iurisdictionem tamquam à Dei ministro, quoniam Angeli quoque ministri Dei sunt; non tamen idcirco eum esse simplicem ministrum, sed talem, qualis fuit Ioannes in suo Baptismo, qui Ioannis Baptismus dicebatur, quod ipse illum instituerat, quamuis ex auctoritate diuina. At verò Baptismum, quo Petrus baptizabat, non appellari Baptismum Petri, sed Christi; propterea quod cum in eiusmodi Baptismo remitterentur peccata, Petrus illius causa esse non poterat, nisi per merum ministerium: eapropter tradi à Pontifice iurisdictionem, iniungente ac imperante ex auctoritate, & tamquam ab Ecclesiæ Principe. Et quidem iurisdictionem, tum quæ extra ordinem est, tum ordinariam, recipi ex vi huius imperij, non autem ex vi consecrationis; aliter nemo illam acciperet à Pontifice, quippe qui neminem consecrat. Hanc esse maximè receptam doctrinam, pro qua & Theologos produxit, & repetiit firmavit. Quamquam dicatur in consecratione, *Trado tibi cathedram, trado tibi claves*, &c. intelligendum id esse eà ratione, quâ sanctus Thomas docet recipi à Rege potestatem in consecratione siue vnctione, dum dicitur, *Accipe potestatem, accipe regnum*. Significationem verborum ad vsum spectare, hoc est, *Tibi concedo, vt possis bene vti regno*. Ita cum dicitur Episcopo in consecratione, *Accipe Spiritum gubernandi*, significari, *Tibi concedo vt possis rectè gubernare*. Et huiusmodi morem oriri ab antiqua consuetudine, dum eodem ferè tempore creabantur & consecrabantur Episcopi. Non propterea hanc iurisdictionem in Episcopis esse delegatam; sed, sicut in Iudicibus ordinariis, ab aliquo magistratu supremo constitutis. Nonnullis tamen nullo interposito eam à Christo fuisse traditam, sicut Apostolis; sed communiter reliquis impertiri à Pontifice, non per modum meri ministerij, sed per modum mandati. Conclufit definiendum esse, Episcopos quod spectabat ad Ordinem, esse ex Iure Diuino, nullâ factâ mentione iurisdictionis, de qua complures Doctores Catholici variè opinabantur.

Acta Palcotti.

Ardor huiusce disputationis, præ qua videbantur quæstiones reliquæ parui esse momenti¹, multorum curiositatem ad causam exquirendam vellicabat. Rebantur alij, Præsules Hispanos eò spectare, vt hoc pacto concuterent summam prærogatiuam Inquisitoris supremi, qui erat id temporis in Hispania Archiepiscopus Hispalensis,

sis, vir ipsis grauis & odiosus: alij, velle Transmontanos tam plenè absolutæque potestati Pontificis se subducere. Sed à prudentibus id quod planius erat, vt assolet, verius putabatur, nimirum, re ipsa Hispanos in ea esse sententia, quam postremò tradiderat Franciscus Victoria, Dominicanus, Theologus præstantissimus, & seminator, vt sic loquar, in Hispania Scholasticæ Theologiæ (quæ prius parum ibi propagata, deinde mirificè floruit in illis regnis) & pro eo ac vnusquisque pronus est ad sublimiter opinandum de suo gradu, eam sententiam in Præsulum mente libenter exceptam fuisse: ex altera parte zelotypiam esse causam contentiosissimæ repugnantie in amantissimis Apostolicæ Sedis, & ab hac ipsa repugnantia inflammari cupidinem, & impetum augeri in fautoribus; quemadmodum videmus longè frequentius ac feruentius impendi studium aliis philosophicis disciplinis, in quibus in dubium ac certamen offenditur, quàm in mathematicis, in quibus nonnisi certum & ineluctabile reperitur.

Videbatur quibusdam litigium ad mera vocabula iam redactum, quandoquidem volebant alij, Episcoporum iurisdictionem esse proximè à Pontifice, alij, à Christo, sed ita, vt vsus ac materia penderet à Pontifice. Verùm subtiliores, seu religiosiores magnum discrimen animaduertebant, cùm affirmarent, confici ex polteriori opinione, non posse à Pontifice materiam semel à se destinatam Episcopi iurisdictioni auferri aut minui sine causa, ex celebri doctrina Abbatis Panormitani, & Decij cap. vltimo *de Confrm. vtil. & eiusdem Abbatis in quæstione, quæ incipit, Episcopus*. Et quamquam, aiebant illi, positâ etiam sententiâ contrariâ, non sit fas Pontifici id agere pro sua voluntate rationi dissentanea; vbi tamen id agat, actionem esse ratam: at verò rem graui perturbationi obnoxiam fore, si huiusmodi Pontificis iussiones rationi dissonantes sicuti licitæ non sunt, ita nec essent ratæ. Et acutè hi considerabant, nihil inde detrimenti reuera secuturum, si quod rationi consonat, aut dissonat, duo quasi colores essent, qui oculis perspicuè cernebantur; sed cùm omnia quæ spectant ad mores, opinionum varietati subiecta sint, satius esse, si Pontifex, qui plerumque pietate ac prudentiâ præditus eligi solet, & qui morsus conscientie honorisque persentit, possit interdum subditos obstringere imperio aliquo rationi dissentaneo, quàm si ipse, qui Princeps est, suorum subditorum iudicio vario & perturbato subditus redderetur; adeoque si quando vellet Sacerdotium aliquod in aliena Diocesi sibi reseruare, aut Ordinarij collationem anteuertere, aut subdito cui-

piam.

Historia
Concilij Tridentini
Lib. III.
Cap. VI.

1562. piam immunitatem à Præfulis potestate indulgere, aut Episcopum ex vna in alteram sedem transferre; liceret semper litigare de irrita iussione, obtento colore non sufficientis rationis. Huiusmodi respectus erant in causa, cur ad singulas voces multi suspiciosius hærerent, neque consentirent, vt definiretur, Episcopos nullo interposito esse à Christo, nisi apponeretur ad vitandam finitram omnem interpretationem, hæc limitatio, *Quantum spectat ad Ordinis potestatem.*

m Litteræ
Vicecomitis
ad Borromæum,
6. Decembris
1562.

Hinc factum est, vt forma à Lotharingo digesta haud plene comprobaretur, sicut ipse considerat^m, de quo & animo & voce conquestus est. Eam maximopere complectebantur duo Cardinales Theologi, Seripandus & Osius: at Simonetta, cautus pro more in auctoritate Pontificis custodienda, petiit, vt ad eam operosius expendendam deligerentur nouem inter Theologos & Canonum Consultos: Theologi fuerunt Petrus Antonius Capuanus, Leonardus Marinus, Gaspar de Fosso, Archiepiscopi Hydruntinus, Lancianensis, & Rheginus, & Didacus Lainius Societatis Iesu Præpositus Generalis. Canonum periti fuere duo, postea futuri Pontifices, Hugo Boncompagnus, & Ioannes Antonius Facchinettus, tunc Episcopi Vestanus & Neocastrensis, duo futuri Cardinales Gabriel Paleottus Romanæ Rotæ Duodecemuir, & Scipio Lancelottus, Synodi Aduocatus; quibus adiectus est Promotor Io. Baptista Castellius. Tribus prioribus Theologis exemplar Lotharingi placebat, non item Lainio, qui dicebatⁿ, à se schisma præuideri, & cum eo tandem concorditer consentire Canonum Doctores. Obiectionum summa hæc fuit.

n Litteræ
Gualterij ad
Borromæum,
6. Decembris
1562.

Septimo Canone secundum memoratam formam, in eo quod declararet, Episcopos esse institutos à Christo, nihil concuti hæreticos; quod Synodus intendebat. Id enim ipsi non inficiabantur, sed dicebant, Episcopos assumptos à Romano Pontifice, non esse veros ac legitimos Episcopos, eosdem appellantes capita rasa, inuncta, oleo perlita, & laruas papales. Illic proscribi sententiam plurimorum Catholicorum Scriptorum, qui existimabant, vnicum Episcopum, hoc est Petrum, fuisse à Christo institutum, & reliquos omnes à Petro.

Speciem hinc obtendi, vt credatur, Episcopos electos inter hæreticos à Regibus aut à populo, esse veros ac legitimos Episcopos; propterea quod dum absolutè affirmatur, Episcopos institui à Christo, videtur significari, eorum potestatem esse totam à Christo, ita vt elector nudum quoddam ministerium exercent, non vim
causæ

causâ efficientis, quod antea in medium protulerat Episcopus Hibernus, tamquam argumentum à Regina Britannia pro se adductum. 1562.

In ea loquendi ratione indistincta vim inesse significationis vniuersalis, adeoque ubi indiscriminatim de Episcopis pronuntiaretur eos esse à Christo institutos, id ex æquo intellectum iri, tum quod ad iurisdictionem, tum quod ad ordinationem attinet. Denique, maioris esse ponderis hanc affirmationem, eos esse institutos à Christo, quam illam, ipsos esse ex Iure Divino, cum posterior interpretationem minus cogentem admittat. Quare, si in hac posteriori difficultas offerebatur, adeò ut Lotharingus ipse ab ea Patres dehortaretur, multò magis priorem esse vitandam.

Valdè periculosam aleam subit, qui formam aliquam verborum profert ad conciliandas duas partes contrarias, acutas ac suspiciosas: quia contrariae sunt, fugit altera quod altera quærit; quia acuta, singulae detegunt quæ sequester inuoluit: quia suspiciosa, utraque quod sibi noxium est, deprehendit; cum eiusmodi verba nequeant dubia non esse, & suspicionis ingenium sit, dubium sibi malum tamquam certum assumere.

C A P V T VII.

Responsum Pontificis, ut Vicecomes Romam mittatur. Propositum de mansione Decretum, & hac de re Lotharingi sententia. Noua significationes moderata Regis Hispani ad suos Episcopos, ne Pontifex, neque Galli offenderentur.

EO grauius angebantur Præsides, quòd animaduertebant, se ab ipsa præfectura subiectiores reddi quàm ceteros: nam citari se, & quasi pungi ob quamlibet aliorum impudentiam sentiebant. Hinc in Concilio conclamabatur *libertas*. Hinc in eos fremebatur ad omnem vocem ab Episcopis immoderatus elapsam, perinde quasi linguarum omnium ipsi fræna tractarent. Itaque ex Hispanis Episcopis quinque^a melius erga Pontificem animati, neque coniuncti præferuidis suorum ciuium postulatis, & inter eos Salmanticensis, & Pattenensis, simul adiere Legatos, & ob contumelias in Guadicensem iactas contestati sunt; nisi prospiceretur in posterum, necesse sibi fore cum reliquis nationis suæ se consociare ad eam ab huiusmodi insultationibus defendendam: si quis unquam Hispanorum vocem minus Catholicam promeret, optare se,

Pars III.

O o

vt is

^a Litera Legatorum ad Borromæum, 6. Decemb. 1562.